



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. I. Quibusdam præmissis, triplici conclusione conclusione utraque
difficultas resolvitur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum peccata semel per penitentiam remissa, per subsequens peccatum redeant, vel redire possint?

§. I.

Quibusdam premis, triplici conclusione utraque difficultas resolvitur.

1. Notandum primò, peccata remissa duobus modis redire dici posse, primò quoad esse physicum, si nimirum idem numero peccatum jam omnino destructum reproducere; secundò quoad modum essendi moralem, si nempe propter peccatum subsequens Deus rescindat præcedentem condonationem, & peccata remissa rursus in memoria retineat in ordine ad odium peccatoris propter illa, & in ordine ad penam illis debitam.

2. Notandum secundò, dupliciter adhuc intelligi posse, peccata remissa redire quoad modum essendi moralem, nimirum simpliciter & secundum quid. Ut redeant primò modo, requiritur quod peccatum subsequens remissionem, virtualiter contineat totum reatum præcedentium delictorum; ut verò redeant secundò modo, sufficit quod peccatum subsequens fiat gravius intuitu præcedentis remissionis aliorum peccatorum.

3. Notandum tertio, non hic solum esse questionem de reatu peccati quoad culpam, sed etiam quoad penam; neque solum procedere de lege & potentia Dei ordinaria, sed etiam de extraordinaria & absoluta. His præmissis, pro resolutione difficultatis propositæ.

4. Dico primò, secundum legem Dei ordinariam peccata semel per penitentiam remissa, non redeunt simpliciter & proprie, nec quoad esse physicum, nec quoad modum essendi moralem, neque secundum reatum culpæ, neque secundum reatum penæ, ita quod coruli macula reponatur in homine, aut quod propter illa à Deo puniatur. Est contra nonnullos ex antiquis Theologos, qui putarunt peccata dimissa redire quoad modum essendi moralem, (teste D. Thomâ hic art. 1. in corp. & S. Bonaventurâ in 4. dist. 22. art. 1. quaest. 1.) quorum aliqui, ut Hugo Victorinus lib. 2. de Sacram. parte 14. cap. 7. generatim redire asserunt per quodcumque peccatum sequens: alii verò, ut Præpositivus quidam ad D. Bonaventuram citatus, non per quodlibet generatim, sed tantum per hæc quatuor, odium fraternum, apostasiam à fide, contemptum confessionis, & retractionem penitentia prius factæ. Unde illud distichum.

*Fratres odit, apostata sit, spernitque sateri.
Penitusse piger, pristina culpa redit.*

5. Prima pars quæ asserit non redire peccata secundum esse physicum, manifesta est, peccata enim non possunt redire secundum esse physicum nisi redeat idem numero actus per quem commissi sunt: At talis actus redire nequit, saltè secundum potentiam Dei ordinariam; quod enim semel desit, nequit idem numero secundum potentiam Dei ordinariam reproduci: Nec possunt

A actus vitales reproduci à Deo, sine influxu vitali voluntatis, quæ sine dubio experiretur in seipsa reproductionem illam, non minus quam experita sit primam productionem: Ergo secundum legem Dei ordinariam, peccata semel per penitentiam remissa, quoad esse physicum redire nequeunt.

6. Quod verò etiam non redeant secundum modum essendi moralem, siue quoad culpam, siue quoad penam, ostenditur primò ex Scriptura & SS. Patribus, dicitur enim Ezechiel. 18. Si impius egerit penitentiam, omnium iniquitatum ejus quas operatus est non recordabor. Et Nahum 1. ubi Vulgata habet, Non consurget duplex tribulatio. Septuaginta vertunt: Non vindicabit Dominus bis idipsum in tribulatione. Si autem peccata secundum modum essendi moralem redirent per sequens peccatum, Deus recordaretur eorum, & bis ea puniret: Ergo peccata per penitentiam remissa, siue quoad culpam, siue quoad penam, non redeunt. Unde Prosper in resp. ad 2. objectionem Gallorum: Qui recedit à Christo, & alienus à gratia finit hanc vitam, quid nisi in perditionem cadit? Sed tamen non in id quod remissum est recidit, neque in originali peccato damnabitur, qui tamen propter postrema crimina eâ morte afficitur. Et Gelasius Papa in cap. Finali, de Penit. dist. 4. Divina (inquit) clementia, dimissa peccata in ultionem ulterius redire non patitur.

7. Ratio etiam suffragatur: Primò, quia remissio peccatorum, prout nunc fit, est talis ut peccata quoad esse morale aboleantur absolute, id est sine ulla conditione, vel suspensione, vel dependentia à peccato futuro: Ergo peccatum sequens non potest esse causa ut redeant secundum modum essendi moralem. Patet Consequentia, quia si peccatum sequens revocaret priora, id faceret propter decretum divinum, quia scilicet Deus constituit, ut qui post remissionem peccaret, reus fieret omnium peccatorum præteritorum. Antecedens verò probatur, tum ex Scriptura in qua absolute penitenti promittitur remissio peccatorum; tum ex formis Sacramentorum, quæ etiam absolutam peccatorum remissionem significant.

8. Secundò, si quis peccavit peccato infidelitatis, & postea peniteat, & iterum labatur in peccatum luxuriæ; vel per tale peccatum redit prior infidelitas, vel non? Si non redit, habetur intentum; si redit: ergo amittit fidem, per peccatum luxuriæ; quod est omnino absurdum, cum ex vi talis peccati, nullo articulo fidei discredat. Ita egregie discurrit Joannes à S. Thoma hic disp. 39. art. 1.

9. Addit, quod si redirent peccata remissa, non possent iterum tolli, nisi per aliquod Sacramentum: Non aliud quàm penitentia: Ergo teneretur homo iterum confiteri peccata illa, quod est absurdum, & à Benedicto XII. Extravaganti inter cunctas damnatum. Ibi enim definit, absurdum esse, ut qui peccata per penitentiam dimissa, rursus debeat confiteri, & ut debitor liberatus, adhuc maneat ad solvendum obligatus.

10. Confirmatur: Si peccata actualia per penitentiam remissa redire possent, etiam peccatum originale per baptismum sublatum posset redire: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Sequela Majoris videtur manifesta, est enim eadem ratio quoad hoc de peccato originali, ac de actualibus. Minor verò suadet, si enim rediret peccatum originale, deberet rursus tolli per aliquod

sacramentum: Non per poenitentiam, quia illa non est instituta in remedium peccati originalis, sed solum peccatorum actualium post Baptismum commissorum. Ergo per Baptismum; & sic Baptismus debet iterari, quod est haeticum.

Hae argumenta probant, peccata semel per poenitentiam remissa, non redire etiam quoad poenam; cum enim poena non debeat nisi propter culpam, si non redeat peccatum quoad culpam, non redibit etiam quoad reatum seu obligationem ad poenam.

11. Dico secundò, licet peccata semel remissa non redeant simpliciter propter peccatū subsequens, redire tamen secundum quid. Primò, quia frequenter, & vulgari loquendi modo, dicitur aliquid redire, quando ei succedit aliquid similis; sic enim dicimus redire febrem, redire pluviam, redire hyemem, & similia: At peccata mortalia quae de novo committuntur, quantum ad privationem gratiae, & reatum poenae aeternae, similia sunt illis quae fuerant per poenitentiam remissa: Ergo peccata semel remissa, redeunt secundum quid propter peccatum subsequens. In hunc sensum D. Thomas hic art. 1. intelligit illud Jacobi 2. *Qui unque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus*; quia scilicet privatur omni gratia, & beatitudine, ac mercede operum, proinde ac si nullum mandatum servasset.

Secundò, peccata semel remissa, propter peccatum subsequens redeunt secundum quid, quia peccatum subsequens sit gravius, ob circumstantiam ingratitude, in hoc consistentis, quod homo post acceptum beneficium remissionis divinae, peccat.

12. Est autem magna differentia inter hunc modum redeundi, & alium purum & simplicem quem praecedenti conclusione negavimus; nam in simplici reditu, plura essent peccata, praeter illud sequens; in isto autem non est nisi peccatum illud quod de novo committitur, sed aggravatum ex peccatis prioribus, sive potius ex eorum remissione. Sicut autem quaedam peccata sunt, quae magis pugnant contra beneficium remissionis, ita majorem in se continent ingratitude, & magis aggravantem; hujusmodi sunt ea quatuor quae recenset D. Thomas hic art. 2. scilicet odium fraternum, apostasia à fide, contemptus confessionis sacramentalis, & retractatio poenitentiae prius factae.

Dico tertio, peccata semel remissa nequeunt, etiam de potentia Dei absoluta, redire quantum ad esse physicum, bene tamen quantum ad modum essendi morale.

13. Probatur prima pars: Licet possit Deus de potentia absoluta, alia à peccato jam destructa reproducere, non tamen ipsum peccatum: Sed per poenitentiam peccatum jam omnino destructum est: Ergo à Deo, etiam de potentia absoluta, reproduci nequit, nec per consequens redire quantum ad esse physicum. Major probatur, quia aliàs Deus esset author peccati, esset enim causa proxima & principalis illius, ex eo quod causa secunda non posset esse nisi instrumentum, ipsa enim non habet virtutem innatam ad reproduendum rem semel destructam.

14. Secunda quoque pars suadet, cum enim Deus sit supremus & absolutus Dominus, posset de potentia extraordinaria remittere alicui peccatum, sub ea conditione, ut si postea iterum peccaret, tantam culpam & reatum poenae contraheret,

A quantum contraxisset ex utroque peccato, & prius non fuisset remissum; in quo casu culpa reatus poenae rediret quoad esse morale: Ergo peccata semel remissa, de potentia Dei absoluta, redire possunt quantum ad modum essendi morale.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Contra primam conclusionem obijciuntur primis quaedam Scripturae & SS. Patrum testimonia, quibus significari videtur quod peccata jam remissa redeant, dicitur enim Psal. 103. *In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conspectu Domini.* In quem locum Augustinus, si ergo illud teneret illud ad quod vocatus est, nullo modo ad eam vel sua praeterita, vel parentum iniquitates pertineret, sed quia non tenuit adoptionem in familia Dei, si iniquitatem veteris generis, rediret iniquitas patrum ejus in conspectu Domini, ut in eo etiam ipsi puniretur. Scriptura etiam docet, Deum data occasione recordari peccatorum quae jam remissa sunt, ea scilicet puniendo, ut patet ex verbis illis mulieris Sa-reptanz ad Eliam 3. Regum 17. *Quid mihi & tui vir Dei? Ingressus es ad me, ut remeum accum iniquitates meae, & interficeres filium meum.* Item Mat. 18. licet Dominus servo nequam omne debitum dimisisset, tamen postea audita ejus crudelitate in conservum, illud revocavit dicens: *Nunciat inde donec reddat universum debitum.* Ergo per subsequens peccatum revixit debitum quod dimissum fuerat. Unde Augustinus de sermone Domini cap. 6. ait in persona Domini: *Si non dimiseris, revocabo te, & quicquid tibi dimiseram requirabo.* Similia dicit Ambrosius, Gregorius, Beda, Rabanus, & alii.

Ad locum Psalmi 108. respondeo quod iniquitates parentum dicuntur redire in memoriam Dei pro filiis, non quantum ad culpam, sed quantum ad aliquam poenam temporalem, sed quoniam ad castigare peccata parentum. De qua etiam intelligi debent verba viduae ad Eliam, loquentem enim de memoria iniquitatum quantum ad poenitionem aliquam temporalem, quia Deus castigabat illam in morte filii, vel fortasse illa mulier habebat peccata non remissa, & loquebatur de illis.

Ad probationem vero Matth. 18. dicendum est quod à servo illo exigitur totum debitum, propter peccatum sequens, quia debitum illud redit secundum quid, & per quandam aequivalentiam, propter inimicitiam & crudelitatem, quae erga conservum usus est. Unde per parabolum illam Christus significare tantum voluit, Deum gravissime offendi ex eo quod nolimus remittere injurias nobis illatas, & peccatum illud in misericordia severissime puniendum, juxta illud Jacobi 2. *Judicium sine misericordia illi qui non faciunt misericordiam*: id est judicium durissimum illi fiet. Quod documento plurimum egebant Judaei, vindictae cupidissimi.

Ad sanctos Patres respondeo eos loqui de reatu peccatorum, quoad circumstantiam ingratitude, modo in secunda conclusione explicatam, vel de reditu peccatorum quoad culpam & poenam aequivalentem; quia per subsequens peccatum contrahitur similis poena aeterna sententia, & privatio ejusdem beatitudinis obiectivae, juxta quod sententia, ut supra annotavimus, explicatur.